

sumi illa combustione, sicut animus, cuius presentia corpus vivit, & dolorem pati potest, & mori non potest. Hoc enim erit tunc in corporibus damnatorum quod nunc esse scimus in animis omnium.

*Si daemones corporali igne cremantur.*

**Q**uari etiam solet, an daemones corporali igne ardeant. Ad quod Augustinus respondens ait, (de Civit. Dei Lib. XX. cap. x.) „Cur non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi; si spiritus hominum, etiam ipsi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Gehenna illa quae stagnum ignis, & sulphuris dicta est, corporeus ignis erit, & cruciabit damnatorum corpora, hominum, vel daemorum, sed solida hominum, aerea daemorum: unus enim utrisque ignis erit, ut Veritas ait. De quo igne si quaeritur qualis, vel ubi sit, Augustinus sic responderet (ibid. cap. xvi.) „Ignis aeternus cuiusmodi sit, & in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.“

*Si animae sine corporibus sentiunt ignem corporalem.*

**C**UM autem constet animas igne materiali in corporibus cruciandas, quaeri solet, an interim ante resurrectionem corporum animae defunctorum reproborum materiali igne cremantur. De hoc Julianus Tolletanae Ecclesiae Episcopus, Gregorii dicta secutus, ita scripsit. (a) „Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne tenetur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormentis ignis sit, videndo, atque sentiendo.“ Quod autem non solum videndo, sed etiam experiendo anima ignis tormentum patitur, ex Evangelio colligitur, ubi Veritatis voce dives mortuus dicitur in inferno sepultus; cuius anima quod in igne teneatur, insinuat, cum Abraham deprecatur dicens (Luc. xvi. 24.) „Mitte Lazarum, ut iningat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.“ Dum ergo peccatorum divitem damnatum in ignibus Veritas perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Praecipue cum humanam animam corporis similitudinem habere doceat Augustinus ita inquit (super Gen. ad litteram Lib. XII. cap. xxxi. 11.) „Profiteri animam habere posse similitudinem corporis, & corporalium omnino membrorum quisquis renuit, potest negare animam esse quae in somnis videt vel ambulare se, vel sedere, vel huc atque illuc gressu, vel etiam volatu ferri. Hoc (1) enim sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem; ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus sive in requie, sive in doloribus.“ In Cassiani etiam voluminibus legitur, (b) quod non sint otiosae, neque nihil sentiant, cum dives ille in inferno se flamma cruciari clamet. Unde probatur animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, tristitia, gaudio, ac metu carere; & ex his quae sibi in illo generali examine reservantur, eas quidem jam incipere praegustare.

*De abortivis foetibus, & monstris.*

**I**llud etiam investigare oportet, si abortivi foetus, & monstra resurgent, & qualia. De quo Augustinus ita ait (in Enchirid. cap. lxxxv.) „Occurrit de abortivis foetibus quaestio, qui jam nati sunt in uteris matrum, sed non ita ut iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his qui iam formati sunt, tolerari potest utcumque quod dicitur. Informes vero quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quae concepta simul non fuerunt? Scrupulose quidem inter doctores quaeri ac disputari potest, quando incipit homo in utero vivere, an sit quadam vita occulta quae nondum in motibus viventis appareat. Negare enim vixisse puerperia, quae ideo membratim exsecantur, ut eliciantur ex uteris praegnantium, nec matres etiam, si mortuae ibi relinquuntur, occidant, impudenter nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus vero, ubicumque illi potuit mors evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo. Neque enim & monstra quae nascuntur, & vivunt, quantumlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, sed potius correcta eorum, emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem quem nuper natum in oriente fratres (2) fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & (3) Sanctus Hieronymus scriptum reliquit, & unum hominem duplicem, ac non potius duos (quod futurum erat, si gemini nascerentur) resurrecturos aestimemus. Ita & caetera quae nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanae naturae figuram in resurrectione ne revocabuntur.

#### DIVISIOTEXTUS.

Postquam determinavit Magister de conditionibus resurrectionis, hic determinat de conditionibus resurgentium: & dividit in partes duas. In prima parte determinat de conditionibus resurgentium qui ad perfectionem humanae naturae pervenerunt, in se-

cunda de conditionibus illorum qui in presenti vita praedicta perfectione caruerunt, scilicet de abortivis foetibus, ibi: *Illud etiam investigare oportet &c.* Prima in duas. In prima determinat conditiones resurgentium beatorum; in secunda conditiones malorum, ibi: *De reprobis autem quaeri solet &c.* Prima in tres. In prima determinat resurgentium aetatem, & staturam; in secunda corporum integritatem, ibi: *Non*

(1) *Al. deest enim.* (2) *Al. fidelium.* (3) *Augustinus: Sanctae memoriae Hieronymus Presbyter. Sump-*

*Est autem ex Hieronymi epist. cxxxii. ad Vitalem.*  
Ex Edit. P. NICOL. (a) Nimirum in tractatu qui prognosticon inscribitur Lib. II. cap. xvii. Tom. IX. Bibliotheca PP. ubi Gregorium expresse citat. Sumpsum autem est ex Lib. IV. Dialogorum cap. xxix.

(b) Collat. i. cap. xiv. ubi paulo plenius.

enim perit Deo terrena materies; in tertia eorum gloriam, ibi: *Hoc autem in corporibus Sanctorum intelligentum est.*

*De reprobis autem quaeri solet, an cum deformitibus hic habitis resurgunt.* Hic determinat conditiones reproborum: & primo quantum ad reprobationem naturae; secundo quantum ad passionem poenae, ibi: *Si vero quaeritur de corporibus malorum quomodo in igne ardeant, & non consumantur, Augustinus variis exemplis adstruit.* Et circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo corpora reproborum poterunt poenam pati; secundo ostendit idem de spiritibus damnatorum, ibi: *Quaeri etiam solet, an daemones corporali igne ardeant.* Et circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo spiritus daemorum sunt passibiles ab igne corporali. Secundo ostendit idem de spiritibus damnatorum hominum, ibi: *Cum autem constet animas igne materiali in corporibus cruciandas, quaeri solet &c.*

#### QUÆSTIO I.

**H**IC est triplex quaestio circa conditionem resurgentium. Prima de his quae communiter ad bonos, & malos pertinent. Secunda de his quae pertinent tantum ad bonos. Tertia de his quae spectant tantum ad malos.

Circa primum quaeruntur tria.  
Primo. De identitate resurgentium.  
Secundo. De integritate corporum.  
Tertio. De qualitate ipsorum.

#### ARTICULUS I.

*Utrum idem corpus anima resumatur in resurrectione.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod non idem corpus anima resumatur in resurrectione. I. Corinth. xv. 37. *Non corpus quod futurum est, seminans, sed nudum granum.* Sed Apostolus ibi comparat mortem seminanti, & resurrectionem pullulationi. Ergo non idem corpus quod per mortem deponitur, in resurrectione resumitur.

2. Praeterea. Cuilibet formae aptatur materia secundum suam conditionem, & similiter cuilibet agenti instrumentum. Sed corpus comparatur ad animam sicut materia ad formam, & instrumentum ad agentem. Cum ergo anima in resurrectione non sit ejusdem conditionis sicut modo est: quia vel transferetur totaliter in coelestem vitam, cui inhæsit vivens in mundo, vel deprimeretur in brutalem, si brutaliter vixit in hoc mundo: videtur quod non resumatur idem corpus, sed vel coeleste, vel brutale.

3. Praeterea. Corpus humanum usque ad elementa post mortem resolvitur, ut supra dictum est. Sed illa partes elementorum in quas corpus humanum resolutum est, non conveniunt cum corpore humano quod in ea resolutum est, nisi in materia prima, quomodo quaelibet aliae elementum partes cum praedicto corpore conveniunt. Si autem ex aliis partibus elementorum corpus formaretur, non diceretur, idem numero. Ergo nec si ex illis partibus repararetur corpus, erit numero idem.

4. Praeterea. Impossibile est esse idem numero cuius partes essentiales sunt aliae numero. Sed forma mixta, quae est pars essentialis corporis humani, sicut forma ejus, non poterit eadem resumatur. Ergo corpus non

*In IV. Sent. Tom. V.*

(1) *In Vulgata deest Salvatorem.* (2) *Forte quod.*

erit idem numero. Probatio mediae. Illud enim quod penitus cedit in non ens, non potest idem numero resumatur; quod patet ex hoc, quia non potest esse idem numero cuius est esse diversum. Sed esse interruptum, quod est actus entis, est diversum, sicut quilibet alius actus interruptus. Sed forma mixtionis penitus cedit in non ens per mortem, cum sit forma corporalis, & similiter qualitates contrariae ex quibus fit mixtio. Ergo forma mixtionis non redit eadem numero.

Sed contra est quod dicit Job xix. 26. *In carne mea videbo Deum (1) Salvatorem meum.* Loquitur autem de visione post resurrectionem: quod patet ex hoc quod praecedit: *In novissimo die de terra resurrecturus sum.* Ergo idem numero corpus resurget.

Praeterea. Sicut Damascenus dicit in IV. Lib. cap. xxviii. *resurrectio est ejus (2), qui cecidit, secunda resurrectio.* Sed hoc corpus quod nunc gerimus, per mortem cecidit. Ergo idem numero resurget.

#### QUÆSTIUNCULA II.

1. **U**lterius. Videtur quod non sit idem numero homo qui resurget. Sicut enim dicit Philosophus II. de generatione (text. xlv.) *quaecumque habent speciem corruptibilem motam, non reiterantur eadem numero.* Sed talis est substantia hominis secundum praesentem statum. Ergo post mutationem mortis non potest reiterari idem numero.

2. Praeterea. Ubi est alia & alia humanitas, non est idem homo numero: unde Sortes, & Plato sunt duo homines, & non unus homo, quia alia est humanitas utriusque. Sed alia est humanitas hominis resurgentis ab ea quam nunc habet. Ergo non est idem homo numero. Media potest probari dupliciter. Primo, quia humanitas quae est forma totius, non est forma, & substantia, sicut anima, sed est forma tantum: huiusmodi autem formae penitus cedunt in non ens; & sic non possunt reiterari. Secundo, quia humanitas resultat ex conjunctione partium; sed non potest eadem numero conjunctio resumatur quae prius fuit, quia iteratio identitatis opponitur. Iteratio enim numerum importat, identitatis autem unitatem, quae se non comparantur. In resurrectione autem conjunctio iteratur. Ergo non est eadem conjunctio, & sic nec eadem humanitas, nec idem homo.

3. Praeterea. Unus homo non est, si est plura animalia. Ergo si non est idem animal, non est unus numero homo. Sed ubi non est idem sensus, non est idem animal: quia animal diffinitur per sensum primum, scilicet tactum, ut patet II. de Anima, text. xvii. & xxvii. Sensus autem cum non maneat in anima separata, ut quidam dicunt, non possunt idem numero resumatur. Ergo in resurrectione non erit homo resurgens idem animal in numero, & sic nec idem homo.

4. Praeterea. Materia statuae principalior est in statua quam materia hominis in homine: quia artificialia tota sunt in genere substantiae ex materia, sed naturalia ex forma, ut patet per Philosophum in II. Phys. text. xxi. & Commentator idem dicit in II. de Anima. Sed si statua ex eodem aere reficiatur, non est eadem numero. Ergo multo minus, si homo ex eisdem pulveribus reficiatur, non erit idem homo numero.

Sed contra est quod dicitur Job xix. 27. *Quem vi-*

*Dd*

surus sum ego ipse. & non alius; & loquitur de visione post resurrectionem, ut supra dictum est. Ergo idem numero, homo resurget.

Præterea, Augustinus dicit VIII. Lib. de Trin. c. vi. quod resurgere nihil aliud est quam reviviscere. Nisi autem idem homo numero rediret ad vitam qui mortuus est, non diceretur reviviscere. Ergo non resurget; quod est contra fidem.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod oporteat pulveres humani corporis ad eandem partem corporis quæ in eis dissoluta est, per resurrectionem redire. Quia secundum Philosophum in II. de Anima, text. ix. sicut se habet tota anima ad totum corpus, ita pars animæ ad partem corporis, ut visus ad pupillam. Sed oportet quod post resurrectionem corpus resumatur ab anima eadem. Ergo oportet quod etiam partes corporis resumantur ad eadem membra, in quibus eisdem partibus animæ perficiantur.

2. Præterea. Diversitas materiæ facit diversitatem in numero. Sed si pulveres non redeant ad easdem partes, singulæ partes non reficiantur ex eadem materia ex qua prius constabant. Ergo non erunt eadem numero. Sed si partes sunt diversæ, & totum erit diversum: quia partes comparantur ad totum sicut materia ad formam, ut patet II. Phys. text. xxxi. Ergo non erit idem numero homo; quod est contra veritatem resurrectionis.

3. Præterea. Resurrectio ad hoc ordinatur quod homo operum suorum mercedem accipiat. Sed diversis operibus meritoris, vel demeritoris diversæ partes corporis deserviunt. Ergo oportet quod in resurrectione quælibet pars ad suum statum redeat, ut pro suo modo præmieretur.

Sed contra. Artificialia magis dependent ex sua materia quam naturalia. Sed in artificialibus ad hoc quod idem artificium ex eadem materia reparatur, non oportet quod partes reducantur ad eundem situm. Ergo nec in homine oportet.

Præterea. Variatio accidentis non facit diversitatem in numero. Sed situs partium est accidens quoddam. Ergo diversitas ejus in homine non facit diversitatem in numero.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod circa hanc quæstionem & Philosophi erraverunt, & quidam moderni hæretici errant.

Quidam enim Philosophi posuerunt, animas à corpore separatas iterato corporibus conjungi. Sed errabant in hoc quantum ad duo. Primo quantum ad modum conjunctionis, quia quidam ponebant animam separatam corpori iterum conjungi naturaliter per viam generationis. Secundo quantum ad corpus cui conjungebatur: (1) quia ponebant quod secunda conjunctio non erat ad idem corpus quod per mortem depositum fuit, sed ad aliud: quandoque quidem idem specie, quandoque autem diversum: ad diversum quidem quando anima in corpore existens præter rationis ordinem vitam duxerat bestialem, unde transibat post mortem de corpore hominis in corpus alterius animalis, cujus moribus vivendo se conformavit, sicut in corpus canis propter luxuriam, & in corpus leonis propter rapinam, & violentiam, & sic

(1) Al. Secundo quia.

de aliis; sed in corpus ejusdem speciei, quando anima bene in corpore vivens, post mortem aliqua felicitate perfuncta, post aliqua sæcula incipiebat ad corpus velle redire; & sic iterum corpori conjungebatur humano. Sed hæc opinio ex duabus falsis radicibus venit: quarum prima est, quia anima non conjungitur corpori essentialiter, sicut forma materiæ, sed solum accidentaliter, sicut motor mobili, aut homo vestimento; & ideo ponere poterant quod anima præexistebat antequam corpori generato infunderetur in generatione naturali, & iterum quod diversis corporibus uniretur. Secunda est, quia ponebat intellectum non differre à sensu nisi accidentaliter, ut scilicet homo diceretur intellectum habere præ aliis animalibus, quia in eo propter optimam corporis complexionem vis sensitiva amplius viget unde poterant ponere quod anima hominis in corpus animalis bruti transiret, præcipue facta immutatione animæ humanæ ad affectus brutales. Sed prædictæ duæ radices destruantur à Philosopho in Lib. de Anima; in quibus destructis, patet falsitas prædictæ positionis.

Et simili modo destruantur errores quorundam hæreticorum: quorum quidam in prædictas positiones inciderunt; quidam autem posuerunt animam iterato conjungi corporibus celestibus, vel etiam corporibus in modum venti subtilibus, ut Gregorius de quodam Constantinopolitano Episcopo narrat, Lib. XIV. Moral. cap. xxxix. exponens illud verbum Job xix. 26. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Et prædicti errores hæreticorum destrui possunt ex hoc quod veritati resurrectionis præjudicant, quam Sacra Scriptura profitetur. Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio est iterata resurrectio; ejusdem autem est surgere, & cadere: unde resurrectio magis respicit corpus quod post mortem cadit, quam animam quæ post mortem vivit: & ita si non est idem corpus quod anima resumit, non dicitur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo non currit per omnia, sed quantum ad aliquid. In seminatione enim grani granum seminum, & natum non est idem numero, nec eodem modo se habens, cum primo seminarum fuerit absque folliculis cum quibus nascitur. Corpus autem resurgens erit idem, sed alio modo se habens: quia fuit mortale, & surget in immortalitate.

Ad secundum dicendum, quod differentia quæ est inter animam resurgentis, & animam in hoc mundo viventis, non est secundum aliquod essenziale, sed secundum gloriam, & miseriam; quæ differentiam accidentalem faciunt: unde non oportet quod aliud corpus numero resurgat, sed alio modo se habens, ut respondeat proportionabiliter differentia corporum differentie animarum.

Ad tertium dicendum, quod illud quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem: quia remoto posteriori, remanere adhuc potest prius. Oportet autem, ut Commentator dicit in I. Physic. text. lxi. & in Lib. de substantia orbis, cap. i. in materia generabilium, & corruptibilium ante formam substantialem intelligere dimensiones non terminatas, secundum quas attendatur divisio materiæ, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit: unde & post separationem formæ substantialis à materia adhuc dimensiones illæ manent eadem; & sic materia sub illis dimensionibus existens, quam-

quæcumque formam accipiat, habet majorem identitatem ad illud quod ex ea generatum fuerat, quam aliqua pars alia materiæ sub quacumque forma existens; & sic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducetur, quæ prius ejus materia fuit.

Ad quartum dicendum, quod sicut qualitas simplex non est forma substantialis elementi, sed accidens proprium ejus, & dispositio per quam materia efficitur propria tali formæ; ita forma mixtionis, quæ est forma resultans ex qualitatibus simplicibus ad medium venientibus, non est substantialis forma corporis mixti, sed est accidens proprium, & dispositio per quam materia fit necessaria ad formam. Corpus autem humanum præter hanc formam mixtionis non habet aliam formam substantialem nisi animam rationalem: quia si haberet aliam formam substantialem priorem illa, daret ei esse substantiale, & sic per eam constitueretur in genere substantiæ, unde anima jam adveniret corpori constituto in genere substantiæ; & sic comparatio animæ ad corpus esset sicut comparatio formarum artificialium ad suas materias quantum ad hoc quod constituuntur in genere substantiæ per suam materiam: unde conjunctio animæ ad corpus esset accidentalis: quod est error antiquorum Philosophorum in Libris de Anima reprobatus. Sequeretur etiam quod corpus humanum, & singulæ partes ejus non æquivoce retinerent priora nomina; quod est contra Philosophum in II. de Anima. Unde cum anima rationalis remanet, nulla forma corporis humani substantialis cedit penitus in non ens. Formarum autem accidentalium variatio non facit diversitatem in numero. Unde idem numero resurget, cum materia eadem numero resumatur, ut in præcedenti solutione dictum est.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod necessitas ponendi resurrectionem est ex hoc ut homo finem ultimum propter quem homo factus est, consequatur; quod in hac vita fieri non potest, nec in vita animæ separata, ut supra dictum est: alias vane esset homo constitutus, si ad finem ad quem factus est, pervenire non posset. Et quia oportet quod illud idem numero ad finem perveniat quod propter finem est factum, ne in vanum factum esse videatur, oportet quod idem numero homo resurgat; & hoc quidem fit cum eadem anima eidem numero corpori conjungitur, ut ex dictis patet: alias enim non esset resurrectio proprie loquendo, nisi idem homo repararetur. Unde ponere quod non sit idem numero qui resurget, est hæreticum, derogans veritati Scripturæ, quæ resurrectionem prædicat.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de iteratione quæ fit per motum, vel mutationem naturalem. Ostendit enim differentiam circulationis quæ est in generatione & corruptione, ad circulationem quæ est in motu cæli: quia cælum per motum localem redit idem numero ad principium motus, quia habet substantiam incorruptibilem motam; sed generabilia, & corruptibilia per generationem redeunt ad idem specie, non ad idem numero: quia ex homine generatur semen, ex quo sanguis; & sic deinceps quousque perveniat ad hominem, non ad eundem numero, sed specie: & ex igne generatur aer, ex quo aqua, ex aqua terra, ex terra ignis, non idem numero, sed specie. Unde patet quod ratio inducta secundum Philosophi intentionem non est ad propositum. Vel dicendum, quod aliorum generabilium, & corruptibilium forma non est per se subsistens, ut

post compositi corruptionem manere valeat, sicut est de anima rationali, quæ esse, quod sibi in corpore acquiritur, etiam post corpus retinet, & in participationem illius esse corpus per resurrectionem adducitur, cum non sit aliud esse corporis, & aliud animæ in corpore; alias esset conjunctio animæ & corporis accidentalis: & sic nulla interruptio facta est in esse substantiali hominis, ut non possit idem numero redire propter interruptionem essendi, sicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interruptitur, forma non remanente; materia autem sub alio esse remanente. Sed tamen nec eriam homo per generationem naturalem reiteratur eidem numero: quia corpus generati hominis non fit ex tota materia generantis: unde est corpus diversum in numero, & per consequens anima, & totus homo.

Ad secundum dicendum, quod de humanitate, & de qualibet forma totius est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod idem secundum rem est forma totius, & forma partis: forma partis secundum quod perficit materiam; forma autem totius secundum quod ex ea tota ratio speciei consequitur; & secundum hanc opinionem humanitas secundum rem non est aliud quam anima rationalis: & sic cum anima rationalis eadem numero resumatur, eadem numero erit humanitas; & etiam post mortem manet, quamvis non sub ratione humanitatis, quia ex ea compositum rationem speciei non consequitur.

Alia opinio est Avicennæ, quæ verior videtur: quia forma totius non est forma partis tantum; nec forma aliqua alia præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ & materiæ, comprehendens in se utrumque; & hæc totius essentia vel quidditas dicitur. Quia ergo in resurrectione idem numero corpus erit, & eadem numero anima rationalis, erit de necessitate eadem humanitas.

Prima autem ratio probans diversitatem humanitatis futuram, procedebat ac si humanitas esset quædam alia forma superveniens formæ, & materiæ; quod falsum est. Secunda autem ratio etiam non potest identitatem humanitatis impedire: quia conjunctio significat actionem, vel passionem; quæ quamvis sit diversa, non potest impedire identitatem humanitatis: quia actio, & passio, ex quibus erant humanitas, non sunt de essentia humanitatis; unde eorum diversitas non inducit diversitatem humanitatis. Constat enim quod generatio, & resurrectio non sunt idem motus numero, nec tamen propter hoc impeditur identitas resurgentis. Similiter etiam nec impeditur identitas humanitatis, si accipiatur conjunctio pro ipsa relatione: quia relatio illa non est de essentia humanitatis, sed concomitantur eam, eo quod humanitas non est de illis formis quæ sunt compositio, & ordo, ut dicitur II. Physic. text. xxxv. sicut sunt formæ artificiarum: unde existente alia compositione numero, non est eadem numero forma dominus.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa optime concludit contra illos qui ponebant animam sensibilem & rationalem divisas in homine esse: quia secundum hoc anima sensitiva in homine non esset incorruptibilis, sicut nec in aliis animalibus. Unde in resurrectione non erit eadem anima sensibilis, & per consequens nec idem animal, nec idem homo. Si autem ponamus quod eadem anima secundum substantiam in homine sit rationalis, & sensibilis, nullas in hoc angustias patiemur: quia animal diffinitur per sensum, qui est anima sensitiva, sicut per formam essentialem: per sensum autem, qui est potentia sensitiva, cognoscitur ejus diffinitio, sicut per formam accidentalem.